

Gregorius Nyssenus

**SENTENTIA || GREGORII NYSSENI || <BASILII MAGNI FRATRIS> || de corpore filij
Dei ... IE=||SV CHRISTI resuscitato et glo=||rificato, at#[que] de eiusdem
Maie=||state et Seßione ad dexte=ram Dei.|| Adiecta sunt testimonia eiusdem
Nyßeni ... || Omnia quidem ex predicti Nysseni ope=||ribus ... collecta per ||
HERMANNVM HAMELMANNVM || Theologiae Licentiatum.||**

Rostock: Möllemann, Stephan, 1576

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1735485543>

Druck Freier  Zugang





F.e-3063^{1.2.}

1. VD16 G 3104
2. C 5169

SEN TENTIA
GREGORII NYSSENI
(BASILII MAGNI FRATRIS)
de Corpore filij Dei domini nostri IESU
CHRISTI resuscitato et glo-
rificato, atq; de eiusdem Maie-
state et Sessione ad dexte-
ram Dei.

Adiecta sunt testimonia eiusdem Nysseni de
conditione corporum in vita eterna.

Postremo.

Subiicitur eiusdem assertio de utroq; Sacrae
mento, Baptismi et Eucharistie.

Cum breui singulorum declaratione sub sis-
tem cuiuscq; Tractatus apposita.

Omnia quidem ex prædicti Nysseni ope-
ribus & scriptis collecta per

HERMANNVM HAMELMANNVM
Theologiæ Licentiatum.

Rostochij Stephanus Mylander excudebat.

Anno M. D. LXXVI.

Fe - 3063 -

GREGORIVS NYSSE-
nus Episcopus, in Testimonijs veteris
testamenti contra Iudeos adductis
& explicatis, de assumptione
sive ascensione Christi,
sic ait:

David ait: Ascendit Deus in iubilo, &
Dominus in voce tubæ. Quod autem hoc de ser-
uatore nostro dictum sit, Daniel testatur: Con-
siderabam, inquit, & ecce sellæ positæ erant, &
antiquus dierum sedebat. Et post nonnulla: Et
ecce cum nubibus cœli sicut filius hominis ascen-
dens, & usq; ad antiquum dierum peruenit &
adductus est. Ei datus est honor, & princi-
patus, & regnum, & omnes populi, tribus &
lingue seruient ei: potestas eius, potestas æterna,
qua non præteribit, & regnum eius non la-
befactabitur neq; peribit. Dixit Domi-
nus Domino meo, sede à dextris meis,
donec ponam inimicos tuos scabel-
lum pedum tuorum.



MAGNIFICIS VIRIS,
SAPIENTIA, DOCTRINA ET PIES-
tate præstantissimis D. Otthoni Bellinckhouio I. V. Doz-
etori & Consuli, D. Henrico à Berth Senatori, &
D. Bernhardo Hesshusio Senatori, & alijs syna-
ceris veritatis assertoribus, contra Sacramens-
tiorum virus, in urbe Clivorum VVe-
salia &c. suis dominis & pas-
tronis colendis.

HERMANNVS HAMELMANNVS
L. salutem in Christo dicit.

ET si vestram quoq; urbem præoccupare ince-
perant illi, qui à doctrina & sententia Calu-
ni, Bullingeri, Martyris & Bezae, de Sacramento
Altaris, & de Maiestate Christi hominis, pendere
videbantur, & ita quidem, ut etiam aliquando uos
omnes, viri Magnifici, prudentissimi & integerri-
mi, & alios quosdam (quorum nonnulli in Christo
quiescunt, nonnulli adhuc supersunt in Domino) ē
Senatu propterea sine dubio turbarent uno quodam
tempore, quod censerent & scirent, uos esse ingenuos
& sinceros diuini illius Lutheri (quem tu Henrice
Berthi, cum tuo cognato viro humanissimo & cla-
rissimo Doctore Medico, Iohanne Berthio, patro-
no meo optimo, in Ecclesia & Schola VViteber-
gensis docentem & prælegentem, per aliquot annos
audiuisti) discipulos, & ab istorum prædictorum
hominum opinione alienos cognoscerent: tamen
nunc eō rem deductam esse & gaudemus & prædis-
camus,

camus, ut ad Senatorium ordinem & dignitatem
reuocati sitis, & cum laude pristinum Magistratus
locum, atq; priorem præsidentiæ sedem recuperas-
ueritis, non aliter atq; olim Demosthenes & Cicero
ex exilio ad gubernationem Reip. magno omnium
ordinum studio reuocati fuerunt. Vnde non obs-
scure appetet, suam adhuc ibi Ecclesiam inter
Schuuereros habiturum Christum, nostrum Re-
gem gloriæ, & in humanitate ad sedem paternæ
maiestatis exaltatum, & aliquos sibi sanctos serua-
re in media impietate. Ut igitur vobis, tanq;
viris grauissimis, pietate & doctrina, atq; virtutis
bus eximijs, recuperationem pristini honoris, & si-
militer Reip. ibidem vestræ, vestram, hoc est, viro-
rum tam piorum gubernationem gratularer, & an-
imo vicinus, de perdita drachma & iam recuperata,
congauderem uobiscum, volui hoc nostrum scrip-
ptum ad uos mittere. Deinde, ut hac ratione meam
erga V. Excell. obseruantiam declararem. Ters-
tio, ut etiam apud uos de Sacmentariorum abs-
urdis dogmatibus aliquid commentarer.

Beza qui hoc tempore primus & præcipuus
est Sacmentariorum, vir alioqui doctissimus &
subtilissimus, edidit nuper scriptum aliquod, in
quo fatetur, multa hyperphysica dici de corpore
Christi, & Christum secundum carnem accepisse
omnem potestatem in cœlo & in terra, item gloria
inenarrabili super omnes res conditas ornatum esse,
& super omnes res creatas naturam humanam uer-
bo unitam, esse euectam, & quatenus homo est,
Christum quicquid uelit posse, & ipsam Christi
carnem ad dexteram Dei patris euectam, & omniis
bus, sola Deitate excepta, dominari, & omnia crea-
ta Chris-

ta Christi hominis oculis patere & præsentia esse,
multaque alia de Christi corpore glorificato refert.
Et tamen rursum multa ibidem absurdum profert &
habet, utpote, Christi corpus usque ad diem iudicij
tam a nobis remotum esse, atque eis cœlum a terra:
item, dicere humanæ in Christo naturæ aliquid das-
tu in esse a Christo, merum & manifestum esse Ne-
storianismum. Christum secundum carnem non
clauso matris utero natum, non clauso sepulchro
resurrexisse, non clavis ianuis ad discipulos intrasse.
Christi carnem extra Deitatem esse, & huma-
nam Christi naturam non minus extra Trinitatem
esse, atque quaslibet res alias creatas. Postremo dis-
cit, carnem Christi, quantumvis seorsim non con-
sideratam, nec extra λόγον, una latraria simul cum λόγῳ
non adorandam, nec hominem cum Deo, vel huc
manitatem ipsam in Deitate adorandam, sed λόγον
carni inseparabiliter & hypostaticè unum adorari
solum dicit.

Interim, ut ad reliqua omnia racheam, & nihil
nunc dicam de eo, quod sibi contrarius in multis
dictis videatur, dum multa concedat de Christo ho-
mine dici, & interim eum ex necessitate loco astrin-
get: tamen tantum hanc posteriorem sententiam &
opinionem illius Bezae Vezelij aliquantulum pro-
lixius expendam, ut appareat, quo ruat, quo labant,
& in quos demum errores Sacramentarij incident
suis miris effugient & glossis vanis. Quis vno
Christianorum negavit, Magos Christum etiam in
carne adorasse? Quis negat, Cananæam & illos
Leprosos non invocasse filium Davidis? filius enim
David secundum carnem Christus est, Roman: 1.
An non Christo secundum hominem nomen supra

A;

omnia

omnia nomina datum est, Philip. 2. vt testantur omnes fere Patres. Cur igitur non Christo homini flecentur omnia genua, nō minus terrestria quam cœlestia & infernalia? An non Christus profectus in cœlum est secundum humanitatem, subiectis sibi Angelis & potestatibus, 1. Petri 3? An non ipsum Christum hominem, qui excellentius præ ipsis nomen sortius est, Angeli adorant Hebræ: 1? Hinc ait super illum locum Primasius discipulus Augustini: Tunc adorarunt eum Angeli, quando nativitatem illius annunciauerunt, & quando illo esuriente accesserunt & ministrabant ei, siue quando sepulchrum eius custodierunt, quotidie quoq[ue] adorant eum, quia visioni eius obtemperant. Et Oecumenius ait: Adorent eum Angeli, id est, filium cum carne adorent.

Nec est quod hic Beza dicat: Non licet in creaturam credere, nec ullam creaturam venerari & adorare. In Christum hominem credere, eumq[ue] adorare, est in creaturam credere & eam venerari. Ergo non est licitum. Et mox mutilatim adducit Beza Cyrilli testimonia pro hoc suo argomento. Maior potest concedi, si de sola et nuda puraq[ue] creatura intelligatur. Sed hoc de Christo non potest dici. Nam Christus homo seu caro Christi, nuda & pura creatura non est, sed diuinitatem in se habitans, & in se & per se, ut ita dicam, permeantem & immanentem habet. Ideo Christus homo, & caro Christi adoratur illa quidem, & in eam creditur, non quatenus caro aut creatura est, sed, ut Cyrillus ait, in defensione octauii anathematismi, quatenus est Domini & Dei caro, & quatenus diuinitati arcuissima & indiuindia ynione coniuncta est & consuplata;

pu: lata, & ex ea & verbo vna hypostasis constituta.
Hinc apparet quoq; Minorem esse falsam. Nam
quis non virtiose colligentem reprehendat: Carbo
ignitus & ardens incendit. Non est igitur lignum
carbo? Quis enim non agnoscit incendere carbo?
nem, non quidem propria, sed insiti sibi & imma-
nentis ignis virtute. Hinc ait Damascenus lib. 3.
Ortho. fidei cap. 8. Adoratur caro Christi in vna
hypostasi. Item: Non autem ut nudam carnem
adoramus, sed vnitam Deitati, in vnam hyposta-
sin Dei verbi duabus redactis naturis. Timeo car-
bonem tangere propter ligno copulatum ignem:
adoro Christi Dei mei simul vtranque naturam,
propter carni vnitam Deitatem. Non enim qua-
tam appono personam in trinitate, sed vnam per-
sonam confiteor verbi & carnis eius. Idem in li-
bro de duabus in Christo voluntatibus. Ut gla-
dius igne micans, postq; ignem & flammarum rece-
pit, vnum etiam est, sic Christus vnum est & vna
persona post incarnationem. Et quemadmodum
gladium flammrum non audeo attingere, non pro-
pter ferri naturam, sed propter ignis naturam qui
coniunctus est, sic filium Dei verbum carni con-
iunctum adoro, & veneror vna carnem, non pro-
pter carnis naturam, sed propter Dei verbum quod
ei coniunctum est.

Interim ut vitium illationis magis fiat conspi-
cuum, nequit homo esse mediator Dei & hominū.
Et tamen Paulus ait, hominem Iesum Christum
esse talem mediatorem. Ideo non erit homo Chris-
tus, contra apertam scripturam? At interea verus
mediator est Iesus Christus, atque idem homo ta-
men, non autem homo tantum, sed et Deus. Quaz

reveriusq; naturæ gratia mediatoris sive intercessor
ris illi munus conuenit. Nomen enim intercessoris,
vt in Theodoreti dialogis extat, humanitatem &
diuinitatem significat. Augustinus ait homilia
14. in Iohan. Dicunt hæretici, filium non natura
esse Deum sed creatum, quibus respondendum est,
quia si filius non est Deus natura, sed creatura, nec
colendus omnino, nec vt Deus adorandus: Sed
illi ad hoc dicent. Quid est quod carnem eius, quam
creaturam esse non negas, simul cum diuinitate as-
adoras, & ei non minus quam diuinitati desertus?
Ego Dominicam carnem, imo perfectam in Chris-
to humanitatem ideo adoro, quia à diuinitate sua
scepta & deitati vnitæ est etc. videantur ibi reliqua.

Si hinc vellet Beza vel alius inferre, hoc pacto
creaturam adorari, quum Christus homo sit crea-
tura: Respondeo, Carbo ignitus est incontrectabili-
lis. Carbo ignitus est lignum. Igitur lignum est
incontrectabile. Simile est argumentum. Interim
non carbo qua lignum est, contrectari nequit, sed
qua conceptum intra se ignem continet. Vt enim
est & dicitur caro Christi viuifica, vt eius sanguis
dicitur purificare corda nostra, & abluere omnia
peccata nostra, vt eius mors dicitur vita nostra esse,
hac ratione & caro Christi est adorabilis. Ita vis-
demus, quo multi hominum ex petulanti conten-
dendi & contradicendi libidine non ferantur. Ve-
rum de pleriq; Bezæ opinionibus obseruandis,
pauca annotavi & monui in hoc tractatu, quem in
vsum Ecclesiæ ex doctissimi Nysseni, qui fuit fra-
ter Basili magni, scriptis colligi.

Cum vero hanc Gregorij Nysseni, & multo
cum reliquorum Patrum eruditissimorum prioris
Eccles

Ecclesiæ sententiam, plane congruere cum doctrina
diuini illius Lutheri, certissime existimem, & hanc
de glorificati corporis Christi exaltatione, gloria,
statu, & conditione, tam in sacris literis, quam in
scriptis Patrum atq; D. Lutheri expressam obserue-
mus assertionem, volui vobis ut viris ampliss. & in-
tegerrimis, atq; adeo veritatis serio amantibus, hæc
dicta cum nostris Scholijs, & reliqua quæ his ad-
iuncta sunt, dedicare & transmittere, primò, ut V.
Excell. in pio Proposito confirmetur, deinde, ut & Ec-
clesia & aliqui pij erudiantur, quomodo ab erudita
antiquitate & potissimum Patrum scriptis, & a
sententia D. Lutheri perspicua discedant Sacramen-
tarij, & noua inaudita, obscura & abstrusa dogma-
ta de Christo singant. Sint interim apud vos & ali-
bi, qui dicant: Omnia Patrum scripta, omnes
confessiones, & omnia compendia esse abiicienda,
& unicum verbum Dei docendum. Eatenuis isti
tria Symbola, & Confessionem Augustanam cum
omni Patrum scriptis, & ipsum Symbolum A-
postolicum (quod in nonnullis q; Heidelbergens-
ses Theologi carpunt) abiiciant, ut iterum confus-
sum chaos, sicut Monasterij (vbi sic quoq; Roth-
mannus docuit) factum est, siat & omnia corruant.

Ego interim oro V. Excell. pietatem, zelum
& integritatem, ut in veritate contra dubitantes,
fluctuantes in fide, & nutantes in conscientia Sa-
cramentarios, perstare immoti dignemini. Filius
Dei vos omnes atq; alios sinceros veræ doctrinæ
confessores in veteri Clivorum VVesalia sem-
per suo Spiritu sancto regat & gubernet, Amen. Ex Oldenburgo, Cas-
tendis Martij, Anno 1576.

A 5

SENTE

SEN TENTIA GRE-
gorij Nysseni de corpore Christi
resuscitato & glorificato, deq;
cius Maiestate & Sessione
ad dexteram Dei.

Oratione 2. de Resurrectione Christi.

QVVM Angelus lapidem reuoluisset, reperit resurrexisse Dominum: sepulchro quod sigillis confirmatum fuerat, ac presidio militum custodiebatur, sicut Deum decebat, clauso relicto, quemadmodum clausis quoq; ianuis penetrans in domicilium ad discipulos accessit. Quare etiam dicebat: Non est hic sed surrexit, significans (Angelus) ante suum aduentum admirabiliter accidisse resurrectionem seruatoris, quam ut Deus propria virtute exequens, in ijs, que disposita ac destinata erant, peragendis, nullum Angelorum auxiliu desiderauit. Nisi enim hoc ita esset, dixisset: Ecce resurgit, significans id quod statim fieret, sed quoniam ante factum erat, preterito tempore utens, dixit: Non est hic sed surrexit. Angelus primus resurrectionis annunciatricem vocem rupit, nudam designans ac Maiestatis plenissimam, Deoq; maximè conuenientem eius qui surrexerat, potestatem, clamabat: Non est hic sed surrexit. Et mox.

Quod

Quod nudus Iesus absq; linteaminibus resurrexit, significat cum nequaquam posthac cibi potusue, aut indumentorum gestaminis atq; operimenti egentem, in carne cognitum iri. Et si id, quod decretum, dispositum ac destinatum erat, exequens & administrans, sponte sua se his rebus subiecit.

Et mox. Tunc cum accessissent & adorassent eum, quibusdam ambigentibus, cum autoritate plena Maiestatis diuinæ dixit: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Nam quæ naturaliter habebat tanquam Deus, hæc dicitur accipere tanquam homo, certo consilio factus. Quamobrem etiam dicebat: Glorifica me pater apud te ipsum gloria, quam habebam anteq mundus esset, apud te. Nisi enim hanc propriam habueret ut Deus, fieri non posset, ut eam tanquam alienam acciperet, Deo & patre per Prophetam dicente: Gloriam meo alteri non dabo. Ac deinceps adiungit verba, quibus totum orbem terrarum habitatum capturi, & quasi irretituri erant, & in quibus consistit uniuersum mysterium pietatis. Euntes enim, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti, docentes eos seruare omnia, quæ ego præcepi vobis. Ac deinceps adjicet ea, quibus finem horum verborum & euentum spondet. Et ecce ego sum vobiscum usq; ad consummationem seculi.

Idem oratione 1, de Resurrectione Christi.

Angelus

Angelus tunc indumentis fulgoris in modum resplendens, revolutus lapidem monumenti, et mulieres ostendente die splendorem, tunc resurrectionem quae facta erat, visunt. Ibidem.

Ab Esaiā edocitus es de impupta Christi matre, de carente patre, de parturitione doloris experte, de partu non inquinato, sic dicente Propheta: Ecce virgo in utero concipiet et pariet filium, et vocabunt nomen eius Emanuel, quod est, nobiscum Deus. Quod autem parturitio fuerit absq; dolore, primum quidem ipsa te verisimilitudo doceat. Quandoquidem enim omnis voluptas coniunctum habet dolorem, omnino necesse est in ijs que coniunctum considerantur, non extante uno, nec alterum quidem esse. Vbi enim voluptas partum illum non antecessit, nec dolor quidem subsecutus est. Deinde quoq; prophete dictio sermonem confirmat, ita se habens: Priusquam venisset, dolorem parturitionis suæ effugit, et peperit masculum. Aut quemadmodum aliud interpretum dicit: Priusquam laboraret ex doloribus partus, peperit. Ex hac, inquit, virginē matre puer natus est nobis, et filius datus est nobis, cuius imperium fuit super humeros eius, et vocatur nomen eius magni consilij nuncius. Et cetera.

Ibidem dicitur caro Christi Deifica. Item: Deus per sui infusionem et contemplationem, totum hominem (Christum) transformauit in diuinam naturam.

Idem in oratione de S. Stephano.

Christia

Christimachi, id est, Christi hostes aiunt, inferior
rem unigeniti dignitatem per haec significari. Nam per
hoc quod assistat ad dexteram Patris, demonstrare coe-
nantur eum subditum esse Patris potestatur. Quid enim
Paulus? dicam ad eos. Quid item ante illum etiam pro-
pheta David, ambo per doctrinam sancti Spiritus, uni-
geniti gloriam exponentes: Nam et David ait: Dixit
Dominus Dominu meo, sede a dextris meis. Et Aposto-
lus in dextera solij Dei sedere Dominum dicit. Si igit
tur statio diminutionis, sessio prorsus eiusdem fortis, con-
ditionis et honoris signum est: aut igitur augusta ac di-
uina reipliant testimonia, per que sublimitas dextera
significatur, aut aliter illud sumatur.

Et mox. Verum id non, quod in corporibus ver-
borum significatio ostendit, hoc etiam in incorporeanaz-
tura fas est existimare. Nam in homine quidem Session-
ibus corporis positionem designat, ne semper contens-
tio genuum ac poplitum, in sece corporis pondus sustin-
nens, labore, et contra statio arduum et erectum sue
per genua hominem significat, non in natibus sedendo
quiescentem. In suprema autem et excellente natura,
ab huiusmodi intellectibus, et sessio et statio vacua atque
aliena est, utraq; pariter ab ea, quam expeditum atque in
promptu est intelligere, significatione separata. Neque
enim in poplitibus stationem eius, quod incorporeum est,
neque in natibus sessionem eius, quod expers figure est,
accipiemus: sed per utramque vocem, id quod in omni
bono sta-

bono stabile est, & in omni bono immutabile est, pie intelligimus.

Gelasius Papa citat ex quodam scripto
Gregorij Nysseni contra Euno-
mium, hæc verba.

Dextera Dei exaltatus. Quis ergo exaltatus est?
Humilis an excelsus? Quid autem humile nisi quod hu-
manum? Quid vero aliud preter diuinitatem excelsum
est? Sed Deus exaltari non indiget, cum sit excelsus.
Humanitatem igitur Apostolus exaltatam dicit: exaltata
vero est, & quod Dominus & Christus facta est. Non
ergo ante secula essentiam Domini in eo quod ait, fecit,
designat Apostolus, sed humili transitionem ad excel-
lentiam, que per dexteram Dei facta est. Declarat enim
& per hoc verbum pietatis Sacramentum, qui etiam
dixit, quod dextera Dei exaltatus est, rectissime reuelas-
uit dispensationem ineffabilem Sacramenti, quia dextera
Dei creatrix omnium existentium, que est Dominus,
per quam omnia facta sunt, & sine qua factorum consi-
stit nihil, ipsa unitum sibi hominem eucexit per unitatem
ad propriam celitudinem.

Ibidem de visione Stephani.

Stephanus quidem naturam egressus, etiam ante-
quam corpore excessisset, puris oculis coelestes sibi por-
tas apertas uidet, & id quod intra adytum apparebat,
quum ipsam diuinam gloriam, tum gloriae splendorem
conspicatur. Ac paternæ quidem gloriae nulla describitur
oratione

oratione figura : Splendor vero Christi in ea, qua ab hoc
minibus visus erat forma, ab athleta conspicitur, sic ap-
parens, ut humana capere poterat natura. Atq; hic
quidem extra naturam humanam constitutus, & in An-
gelicum decorum transformatus, ut ipsis etiam nefarijs
homicidis miraculo esset, in Angelicam dignitatem for-
ma facie mutata, quum vidit effugientia aspectum, tum
eam, que sibi apparebat gratiam, sublato clamore sis-
gnificauit.

Idem lib. 2. Philosophiae de Anima cap. 12.

Deus enim verbum, nunquam à communione
ulla que est ad corpus & animam alteratur, neq; par-
ticeps est illorum imperfectionis, sed tradens eis suæ
Divinitatis virtutem, manet idem quod erat & ante
unionem.

Sequitur declaratio priorum dictorum.

Bezza dicit non affirmari à veteribus, quod Christus clauso monumento resurrexerit, neq; hoc necessario ex resurrectionis historia colligi. Sed contrarium ostendit Nyssenus, quemadmodum & Chrysostomus homilia 90. in Matthaeum, idem ex textu Matthæi conatur probar. Idem dicit Augustinus sermone 138. Et idem dicit Theophylactus super 28. cap. Matthæi. Et super idem caput Matthæi in suis commentarijs cap. 68. Quemadmodum natus est seruatis integris claustris virginis, ita quoq; resurrexit seruatis integris monumentis signaculis.

Zwim

Zwingiani ex eo colligunt, quod dicitur: Non
est hic, surrexit. Item, in Galileam abiit, ibi eum ut
debitis, Christum in loco esse. Sed veluti non nudus ap-
paruit, et veluti coram ipsis edit et babit, ita dispen-
sationis causa fecit, ut se ita accommodaret inbecillitati
Apostolorum, sicut inquit Nyssenus, et quoque sepius
Cyrillus. Quod inquit Nyssenus: Christum quae na-
turaliter habuit ut Deus, accepisse ut hominem, certo
consilio factum: hec aliquoties assertuntur a Theodore-
to, et sepe quoque ab Athanasio, qui inquit in tractatu
de Arcana et Catholica Confessione. Ita in se ipse,
quam assumpsit, glorificabat naturam, ut humana caro
atque natura diuinam proficeret in gloriam, ita ut omnem
potestatem in celo et in terra habeat, quam antequam
a verbo assumeretur, non habebat. Theodoretus in
cap. de Antichristo: Verbum incarnatum non particula-
rem gratiam contulit assumptae nature, sed totam plenis-
tudinem diuinitatis complacuit habitare in ipso. Epis-
phanius contra Arium. Caro a Maria et ex nostro ge-
nere existens, transfigurabatur in gloriam, acquirens
gloriam Deitatis, honorem, perfectionem et gloriam
coelestem, quam caro non habuit a principio, sed acces-
pit coniunctione Dei verbi.

Quod Nyssenus ait: Christum non nudum appa-
ruisse, ad hoc alludit dictum Cyrilli: Quamvis tempus
iam esset, in quo ineffabili gloria corpus suum appa-
rere deberet, apparuit tamen per dispensationem, quale
prius erat.

prius erat, ne aliud corpus esse videretur, quam quod de ligno pependit.

Nyssenus ait: Christum clausis quoq; ianuis ad discipulos per parietem pertransijisse. Hoc ait Beza in textu varias admittere interpretationes. Interim Iustinus, Epiphanius, Ambrosius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Cyrillus, Theodoretus, Fulgentius, Leo Papa, Gregorius, Beda, Theophylactus, Euthymius, Nicephorus Callistus, Bernhardus & Zmaragdus hoc cum Nysseno expressè ex apertis textus verbis concludunt, & demonstrant, vere per clausas ianuas pertransijisse Christum corpore suo, et si hoc Beza nullies neget. Nyssenus ait & rationibus probat, Mariam absq; dolore peperisse. Id quidem autoritate Hieronymi conatur cuertere Beza, cum tamen ipse non suscipiat pro veris, que ibi tractat Hieronymus in Epistola ad Eustochium. Interim cum Nysseno sunt eiusdem sententiae Theodoretus, Augustinus, Fulgentius, Maximinus Taurinensis, Gregorius Papa, Sedulius poëta, Proclus Episcopus Cyzirensis, Theophylactus, Haymo, Euthymius, Zmaragdus, & alij quidam ex Scholasticis.

Quæ refert de dextera Dei, licet negare non possit Beza, tamen ratione corporis dicit Christum oportere esse in loco. Sed contra Bezam, Christum hominem collocant ad dexteram Maiestatis Dei, & in throno Patris, plerumq; Ecclesiæ Doctores omnes, ut Iustinus, Athanasius, Basilius, Ambrosius, Hieronymus, Primasius,

B

Gregor

Gregorius, Theodoreetus, Chrysostomus, Damascenus,
Nicephorus Callistus, Sedulius, Scotus, Haymo, Anselmus,
Bernhardus. His accedit Leo papa, qui scribens
Leoni Augusto, dicit, Christum cum corpore suo aſſidere
Deo patri in gloria. Idem ait sermone 2. de Ascensione.
Humilitatem nature nostre in Christo super omnia exal-
tatum, usq; ad solium paternum. Non aliter loquitur
quocq; de dextera Dei & Seſſione Christi secundum hu-
manitatem, Cyrillus lib. 9. cap. 20. & lib. 11. cap. 17.
super Ioannem. Item tomo ultimo, lib. de incarnatione
unigeniti cap. 11. Et inter cetera ait, Ascendit cum cara-
ne in gloriam Deitatis. Item Vigilius dicit lib. 4. Chris-
tum secundum carnem sedere in dextera magnificen-
tiae sui patris. Et Primasius idem dicit super 1. cap. ad He-
breos: Vnum iam est inquit, cum Deo in gloria, homo
assumptus à verbo, & habitat in plenitudine paternae
maiestatis, & super omnia exaltatus est. Idem in cap. 7.
ad Hebreos: Christus excelsior cœlis factus est, quando
quadragesimo die admirandæ sue Resurrectionis, super
omnes cœlos, & super omnes ordines cœlestium spiri-
tuum eleuatus est, ad confessum paternæ Maieſtatis, ubi
nunc sedet in plenitudine honoris & glorie. Idem dicit
Ambrosius super 4. cap. ad Ephesios. Simili modo ex-
tollentur supra cœlos futuri cum Christo, sicut ipse dicit:
Pater, volo ut ubi ego fuero, & hi mecum sint, ut vis-
deant gloriam meam. Hoc propter incarnationem filii
Dei, ut etiam homo factus, super omnes cœlos esse di-
catur,

catur, & super cunctam creaturam sedens ad dexteram
Dei.

Interim Beza excludit Christum ex Trinitate, &
ex maiestate throni diuini, ac Sessione paterni solij, atq;
eum ad certum cœli locum ac partem astringit. Contra
Origenes, Athanasius, Basilius, Nyssenus, Eusebius,
Nazianzenus, Epiphanius & Theodoretus aiunt deificis
catam esse carnem Christi. Et sunt hæc Nazianzeni ver-
ba ad Clidonium. Vbi est corpus, si non cum eo qui illud
assumpsit? Item in oratione de Paschate. Caro Christi
in Deitatis consortium assumpta. Esichius in 3. lib.
Moysis in cap. 8. Nec Christi diuinitas post unionem
ab humanitate diuiditur. Idem ibidem super 5. cap. Una
est Deitas, sed tres habet mensuras, id est, tres personas
perfectas, & tot subsistentias, ut manifestum sit non nos
peccare, eius partem carnem Domini dicentes, propter
inseparabilem cum ea incarnati verbi unitatem. Quare
autem Trinitatis pars est? quia indiuisibilis est eius glo-
ria & virtus, ita ut Paulus dicat: In ipso Christo ha-
bitare omnem plenitudinem diuinitatis corporaliter &c.
Et mox. Ergo incarnatus Deus habet in se Trinitatis
plenitudinem. Ambrosius libro de fide resurrectionis
fol. 43. Caro humana in sanctæ Trinitatis substans-
tiam atq; consortium, per Dominum nostrum Iesu
sum Christum ingredi meruit. Simile quid ex
Maxentij scriptis ad fert D. Selneus
cerus contra Bezam.

SEQVNTVR TESTI.

monia quedam Gregorij Nysseni de condicione glorificatorum corporum in vita eterna.

In oratione de Dormientibus.

Inтеллекуале & incorporale est id bonum, quod omnem cogitationem exuperat, cuius ad imaginem facti sumus. Consentaneum ergo fuerit, ut credamus, quem per mortem ad incorporale transimus, appropinquare nos illi nature, quæ ab omni corporali crassitudine separata est, & veluti laruum seu personam quandam deforsem ac turpem, carneum amictū exuentis, ad propriam redire pulchritudinem, in qua ab initio formati sumus.

Item. Homo necessariò hoc munere & officio defunctus, non amplius exinde in alienis viuit, ubi cuique elemento quidem suum, quod ab illis utendum corrogasset, reddiderit, ad propriam vero ac naturalem, puram & incorpoream sedem reuersus fuerit.

Item. Eam quæ à sensu separata est, uitam, qui cum sensu vivunt, nullo modo prorsus cernere possunt. Qui enim per sensum viderit aliquis id, quod extra sensu est?

Et mox. Quim etiam ipsam quæ omnem mentem superat, diuinam ac beatam & incomprehensibilem naturam esse quidem eam credimus.

Item. Omni corporali sensu extincto, sed sola intellectuali efficientia, immaterialiter & incorporaliter, mente

ANNO 1632

13

mente comprehensibilem pulchritudinem amplectente,
absq; ullo impedimento proprium bonum natura reci-
piet, quod neq; color, neq; figura, neq; distantia, neq;
Quantitas est, sed quod omnem conjecturalem pree-
terit imaginationem.

Item. Beata quidem est reuera illa Angelorum
vita, que corporis mole nihil indiget.

Item. In tempore preterito, omnis desinit omnino
motus ex actio vitalis.

Item. Sui potestatem habere, & alterius domi-
natui obnoxium non esse, proprium diuinæ beatitudinis
est. At per necessitatem ipsum hominem ad aliquid tra-
duci violenter, ademptio dignitatis esset.

Item. Multas nunc scoriosas qualitates naturæ
corporis habet, que in praesenti quidem vita, ad aliquam
rem utilitatem conserunt: sed ad eam, que posthac spe-
ratur, beatitudinem, prorsus aliena & inutilia sunt.

Item. Verum est, quod diuina vox dicit: Quod
si terrenum nostrum domicilium habitationis dissolutum
fuerit, tunc id inueniemus aedificium à Deo factum, do-
micilium non manufactum, eternum in cœlis, dignum
quod habitaculum Dei sit in spiritu. Neq; enim quis fie-
guram, habitum & formam describat illius non manus
eius domiciliij, ad similitudinem earum figurarum, que
nunc apparent in nobis, & proprietatibus nos ab iniu-
cem discernunt. Qum enim non sola resurrectio nobis
à sacris literis predicata sit, verum etiam quod oporteat

immutari renouatos per resurrectionem, sacra scriptura promittat, omnino necesse est, prorsus absconditum esse et ignorari, in quid immutabimur, quippe cum nullum exemplum, nullaq; similitudo eorum quae sperantur, in presenta vita conspicatur. Nam nunc quidem quicquid crassum et durum est, natura deorsum fertur, tunc vero ad hoc ut in sublime feratur, transmutatio corporis fit, sic dicente scriptura: Postquam mutata fuerit natura in omnibus, qui reuixerunt per resurrectionem, rapiemur in nubibus in occursum domini in aërem, et sic semper cum Domino erimus. Si igitur in immutatis pondus corpori non durat, sed una cum incorporeo natura in sublime feruntur, qui ad diuiniorem conditionem et statum fuerunt traducti, quoniam et reliqua corporis proprietates ad aliquid diuinius unam transmutantur, color, habitus, figura, ac lineamenta, omniaq; cetera singulatim, nullo modo prorsus hac de causa necesse esse vides mus, ut in immutatis per resurrectionem eiusmodi conspiciantur differentia, quam nunc propter eorum, quae alia alijs succedunt, viciſtudinem, necessario habet natura. Neq; tamen quod non erit, pro certo licet pronunciare, ignorantibus cœlis ipsis, ad quid per mutationem redigentur et transibunt.

Item. Recte quis existimauerit, immutatione omnia in diuiniorem et augustinorum statum excolente et transformante, neq; qualis in nobis species efflorescat, facile animaduertit ac iudicari posse, quum ea bona, que per spem

spem nobis proposita sunt, & oculum & auditum & mentem superare credantur. Aut fortasse si quis dixerit, aliquam certam ingeniorum & morum proprietatem, speciem esse, qua quisq; agnoscatur, non à re penitus aberrauerit.

Idem in oratione de Infantibus, qui præmature abripiuntur, ad Hierium.

Angelica & incorporea natura (quæ ex inuisibilie libis est) in supramundanis & supercœlestibus partibus domicilium habet, propterea quod ea sedes illi nature conueniens & accommodata sit. Nam sicut natura intellectualis, tenuis, pura, ponderis expers & agilis est, ita corpus quoq; cœlestis, tenuis, leue & semper mobile est: terra autem quæ extrellum nimirum ex sensibilibus est, quum ad hoc apta atq; accommodata non sit, ut in ea degant ea, que sola mente comprehenduntur (quam enim communionem habeat id, quod leue est ac sursum fertur, cum eo quod graue & ponderosum est?) &c.

Idem in oratione de Assumptione Christi.

Cœlestia supra mundum sunt.

Idem in oratione super dictum Euangelijs,

Quatenus fecistis vni ex minimis.

Oculus hic effluxit & deperiit, sed per animam bona cernit inuisibilia. Ne igitur corporis deformitatem spectes, mane paulisper & videbis id, quod omni miraculo incredibilius est. Non enim ea quæ circa fluxam naturam acciderunt, etiam perpetuo manent.

B 4

Idem

Idem in disputatione de Anima &
Resurrectione.

Videbis enim corporeum hoc amiculum, quod nunc
morte dissolutum fuerit, ex ijsdem rursus contexi atq;
componi, non hac crassa grauiq; textura, sed ad aëriam
tenuitatem atq; subtilitatem filo reconcinnato atq; refe-
cto, ut et adsit tibi quod diligis, et in meliori atq; amas-
bili magis pulchritudine denuò restituatur.

Item. Quisnam ignorat, quod flumini cuiquam
humana natura adsimiletur, ab nativitate ad mortem
per motum quendam semper progrediens, tunc moueri
desinens, quum etiam esse desierit? Nihil, inquiunt
objeciores, ex partibus et membris corporis ociosum,
et sine aliquo officio atq; usu natura fecit. Nam alia
quidem viuendi causam ac vim continent, sine quibus
fieri non potest, ut vita quam in carne transfigimus, con-
sistat, ut cor, iecur, cerebrum, pulmo, venter et reliqua
viscera: alia vero sentiendi motui destinata atq; attribu-
ta sunt: alia item agendi ac transcundi officio func-
guntur: alia item ad successionem posteriorum idonea
atq; accommodata sunt. Si igitur per eadem quidem
nobis vita, que posthac erit, exercebitur atq; transige-
tur, ad nihil traductio atq; immutatio fit. Sin autem
vera est oratio (ut nimurum vera est) que neq; matri-
monium in ea vita, que resurrectionem exceptura sit,
amplius locum habere affirmat, neq; cibo, neq; potionem
sam vitam, que tunc futura sit, conseruari: quis erit usus
corpo-

corporis partium, quum non amplius ea, propter quæ
nunc membra habemus, per illam vitam sperantur? Nam
si nuptiarum causa sunt ea membra, quæ ad matrimonio-
num pertinent, quum nuptiae non fuerint, nihil opus
habemus ijs, quæ ad illas parata sunt. Sic ad opus ma-
nus, ad cursum pedes, ad sumptionem ciborum os, den-
tes ad ministerium alimenti, ad concoctionem atq; dige-
stionem viscera, & ad reiectionem & excretionem eos-
rum, que corrupta atq; inutilia facta sunt, meatus illi,
per quos ea transeunt & excernuntur. Quum igitur illa
non fuerint, ea, quæ propter illa facta sunt, quomodo
cuiusue gratia erunt? Ut neceſſe sit, si quidem circa
corpus non fuerint ea, quæ nihil adiumenti ijs, quæ ad
illam vitam pertinent, allatura sint, nihil fore eorum,
que corpus nostrum nunc constituant & complent (in
alijs enim vita fuerit). Idq; non amplius aliquis resure-
ctionem nominauerit, quum singularia quæq; membra,
propter eorum in illa vita inutilitatem, non una cum
corpo resurgant. Si autem per hæc omnia Resurrec-
tio representabitur & exercebitur, vana & inutilia
ad illam vitam procreabit is, qui resurrectionem exerce-
at atq; representat &c.

Item. Natura nostra (hic) passionibus, vitijs,
perturbationibus atq; affectibus obnoxia, facta ijs, quæ
patibilem vitam necessariò consequuntur, conflictata est.
Vbi autem ad eam, quæ à perturbationibus, vitijs, pa-
sionibusq; vacua est, beatitudinem recurrerit, non am-

plius conflictabitur ijs, quæ vitiositatem consequuntur.

Item. Quid enim incurvatio & corpulentia, maces & tabes & abundantia humorum, ac si quid aliud fluxe corporum accidit nature, commune habet cum illa vita, quæ à fluxæ pariter atq; transitorie uitæ ratione aliena est?

Item. Id autem (quod scriptura dicit oculum non vidisse, aurem non audiisse, nec in cor hominis ascensisse) nihil est aliud, ut mea quidem fert opinio, quam in ipso Deo esse. Bonum enim quod superat auditum & oculum & cor, id fuerit, quod in superis nature verum presidet uniuersitate.

Item. Seminatur, inquit scriptura, corpus in corruptione, resurgit in incorruptibilitate, seminatur in infirmitate, resurgit in potentia, seminatur in ignominia, resurgit in gloria, seminatur corpus animale, resurgit corpus spirituale. Ut enim posteaquam in gleba disolutum ac diffusum triticum fuerit, relicta ea quæ in quantitate consideratur, exiguitate, & ea quæ in qualitate spectatur, figure sue proprietate, seipsum non dimittit, sed in seipso manens spica euadit, longe plurimum ipsum sese, & magnitudine, & pulchritudine, & varietate, & figura superans atq; precedens: ita natura quoq; humana, omnibus suis in morte relictis proprietatibus, quas per affectionem ac dispositionem, passionibus, motibusque, & animi perturbationibus obnoxiam acquisierat, dedecore, inquam, & ignominia, corruptione, infirmitate,

tate, ætatum differentia, scipsum non dimitit, sed tanq;
in spicam quandam, in incorruptibilitatem immutatur,
in gloriam, in honorem, in potentiam, & in omni re
perfectionem, & in eam conditionem, ut vita eius non
amplius naturalibus proprietatibus administretur, sed in
spiritualem quandam, & à passionibus, & animi motis
bus, perturbationibusq; immunem statum transeat. Hec
est enim animalis corporis proprietas, [ut semper per
fluxum quandam & motum ab eo, in quo versatur, di-
uersam fiat, & in aliud immutatur. Nam que nunc
non solum in hominibus, sed etiam in plantis, & stirpi-
bus, atq; pecoribus bona videmus, horum nihil in illa,
que tunc erit, vita relinquetur.

Item. Constat autem, quod incorruptibilitas, &
honor, & gloria, & potentia, propria diuinæ nature
sunt.

Idem in lib. de creatione hominis cap. 23.

Consummata generatione hominum, simul quoq;
tempus deficit, & sic restitutio fiet omnium, in qua uni-
uersali transformatione commutabitur genus humanum,
à corruptibili & terreno statu, ad impassibilem transi-
ens & eternum. Quod mihi videtur & sanctus Apo-
stolus ad Corinthios, stationem subitam temporis, &
econtrariò resolutionem rerum predixisse mobilium, in
quibus ait: Ecce mysterium vobis dico, omnes quidem
resurgent, sed non omnes immutabimur, in momento,
in ictu oculi, in nouissima tuba. Cum enim plenitudo,

ut ar-

ut arbitror, humanæ nature iuxta præscitum à Deo mos-
dum ad suos venerit terminos, quibus ad incrementum
numeri animarum nihil ulterius desit, in momento tem-
poris, eorum que sunt, commutationem fieri docuit,
momentum nominans & ictum oculi, illius temporis ins-
diuiduum & sine ulla distantia terminum, ita ut nequaquam
quam possibile sit, iuxta nouissimum & supremum quicunque
quam plus celeritatis accedere, propter quod multa pars
extremitatis relinquetur, que hanc circumactam com-
mutationem in morte possideat. Sed mox ut resurrectio-
nis insonuerit tuba, que tunc excitatura est mortuos, &
his qui in vita reperti fuerint, iuxta similitudinem eo-
rum, qui de mortuis resurrexerint, immutatis, ad in-
corruptionem pariter venient, ut iam nequaquam deorsum
premantur corporeo pondere, nec eos moles terrena
detineat, sed sublimiter in aëra perferantur. Rapiemur
enim, ut inquit Apostolus, in nubibus obuiam Domino
in aëra. Et ita semper cum Domino erimus. Igitur
expectemus tempus illud, quod nunc necessario huma-
nis incrementis extenditur.

Sequitur brevis declaratio Dictionum
& Sententiarum, ex Nysseni scri-
ptis prolatarum.

Certum est, gloria in æterna vita corpora, esse
expertæ omnium accidentium Physicorum, & licet sint
spiritualia, tamen non plane spiritus, sed cum spiritibus
multa habent communia. Hic quidem corporibus acci-
dit proo-

dit propter materiam & naturam, ut sint in loco, &
motu quodam transferantur de loco ad locum, item ut
temporibus & locis Physicis sint circumscripta. Sed
nihil tale potest esse in corporibus gloriosis, immortalis-
bus & spiritualibus, in quibus ut desit dolor, labor,
esus, potus, concubitus, omnis grauedo, & alia, ita
sunt absoluta & perfecta, ut tanquam animae & spiritus
sint agilia, leuia & velocia, & proxime animae vim &
substantiam imitantur. Et ita quoq; Philosophi docuere:
Ideo Physica corpora ratione motus, in loco (quum suo
loco, & sua quadam temporis periodo quilibet orbis
circumrotetur) sunt. Sed cœlestia, gloria & spis
ritualia extra locum sunt, ut dicit Aristoteles: Extra
cœlos, ut non est Physicum quid, ita ibi quoq; non est
locus & tempus, aut illa mutatio. Physicum enim est,
quod loco & tempore circumscribitur, quod est pondes-
rosum, & quod deorsum vergit & tenditur. Ut vero
Angeli non sunt loco & tempore & motibus compre-
hensi tanquam spiritus, ita quoq; corpus spiritale in vita
eterna, velocitate, leuitate, perspicacitate & agilitate,
spiritibus erit æquale, cui omne solidum erit penetrabi-
le, (ut ait Augustinus lib. de cognitione vere vite cap.
45.) & illud sicut spiritus nullo loco corporali suspen-
tatur, nullo aliquo loco fulciri opus habet. Deinde dis-
cit, istorum corporum gloriam non ratione sed fide cons-
templandam, quia erunt illa corpora ut animus agilia,
& ut sol perspicacia. Illud probat Augustinus ex dicto
Pauli:

Pauli : Erit resurrectio in ictu oculi, in momento, quia ut spiritus illocabiliter, in summo spiritu, qui est Deus, existent. Ideo erunt spiritualia corpora, quia ubi volet spiritus, ibi erit corpus. Itaque non spacijs, non dimensionibus, non grauedini, non ponderi amplius suberunt corpora. Sic Augustinus lib. 22. de ciuitate Dei cap. 33. Et Prosper libro de vita contemplativa cap. n. Quos sequitur Bernhardus sermone 4. in festo omnium sanctorum. Damascenus dicit illud esse circumscriptum, quod loco et tempore atque comprehensione comprehenditur. Idem dicit Aristoteles. Iam ergo cum ibi tempus nullum possit esse, quomodo cogitur in ea vita (ubi erit Deus omnia in omnibus, et ipse locus noster) esse locus ? aut quomodo habituri sunt sancti corpora circumscripta, iuxta Bezan, cum ea corpora sint futura stabilia, et extra omne tempus ? Simili ratione cum his Patribus argute disputat Nyssenus noster, cuius verba volumus expendere.

1. Dicit, nos illi tunc naturae appropinquare, que ab omni corporali crassitudine separata est, &c. Vbi igitur nulla corporalis erit crassitudo in corporibus glorificatis, quomodo illa tunc ad certum corporalem locum debent ratione ponderis et crassitudinis alligari ?

2. Ait, hominem omnia elementalia deponere, et ad propriam et incorpoream sedem reuerti : Quomodo ergo ad corporalem locum potest in illa vita, ubi erit Deus locus noster, astringi ?

Dicit,

3. Dicit, illius vitæ bonum non esse quantitatem, & interim propter quantitatem, corpora piorum in cœli gaudijs afferunt localiter alicubi hærere Cingiani.

4. Quia Angelis similes erimus, & Angelicam viam viuenus, idèo corporis mole non indigebimus. Cur igitur molem corporis glorificatis corporibus, & sic locum certum tribuunt Calvinistæ?

5. Ibi desinet omnis motus. Ergo & locus desinet.

6. Multas scoriosas qualitates natura corporis tunc deponet. Ergo ne posset & necessitatem illam deponesse, ut cogatur loco subesse?

7. Quicquid crassum & durum est, hic deorsum fertur. Tunc autem talis fiet transmutatio, ut non amplius corpus, quod propter crassitudinem hic deorsum ad locum fertur, sit crassum, sed agile, & ita in sublime feratur. Quomodo igitur debet gloriosum corpus esse semper in loco?

8. Si pondus corpori non durat, sed gloria corpora, veluti incorporea natura in sublime fertur, ferri debent, quomodo corporali loco subiecta erunt?

9. Si ad diuiniorem conditionem & statum, vel ad aliquid diuinius debent traduci & transferri aut transmutari: quomodo igitur in externo possunt esse loco, nisi Cingiani uelint ex loco aliqd diuinoris substatiæ facere?

10. Hic est viciſſitudo, variatio & successio, ideo hic sumus in loco: at illa ibi nō erit, ideo extra locū erimus.

11. Cum nos simus Angelis futuri similes, & habituri corpus

corpus spiritale & cœleste, sequetur ut Angelica natura
in supramundanis & supercœlestibus partibus moratur,
ita quoq; & nos fore tunc extra locum.

12. Ut cœlestia corpora sunt tenuia, levia, & semper
mobilia, ita quoq; & corpora sanctarum erunt,
que pondere & grauedine exuta, ut levia sursum ferri
poterunt, & sic extra locum erunt.

13. Non resurgemus in illa vita hac crassa grauiq;
ra, sed ad aëriam trinitatem & subtilitatem denuo re-
stituemur. Ergo nulla necessitate ad locum alligabuntur
corpora nostra.

14. Si non amplius pedibus ad ambulandum opus ha-
bemus, quemadmodum nec manibus ad laborandum, nec
ore ad sumendum cibum, nec genitalibus membris ad
usum nuptiarum in vita æterna: ergo ibi nec pedum
cursus, vel ambulatio, aut statio erit. Quomodo itaq;
ibi externus poterit esse locus, aut corporum nostrorum
localis constitutio?

15. Veluti hic corpora, aut corpulentia, aut macie,
vel tabe, vel abundantia humorum consistunt in hac
fluxa natura, & illa in altera vita ab his immunia &
aliena erunt: quomodo igitur debent ibi in loco esse?

16. Si illud, quod oculus non vidit, nec auris audie-
vit, nec in cor hominis ascendit, nihil est aliud quam in
Deo esse, teste Nysseno, ut sit, iuxta Augustinum, ibi
locus noster Deus: qua ratione Beza, Bullingerus, &
alij, astringunt gloria piorum corpora, quæ in Deo
erunt, &

erunt, & quibus ipse Deus erit locus ipse, ad corporalem locum?

17. Si talis erit corporum nostrorum conditio, ut non amplius naturalibus proprietatibus administretur, sed ut in spiritualem & stabilem transeat: quomodo ea volunt, quae ratione naturae hic coguntur esse in loco, & hic tales naturales proprietates habent, ut tempore, loco & commotione circumscribantur, & ipsis tunc exi debent, ad certa locorum spacia astringere? quomodo statum spiritualem volunt terreno, & huius mundi conditionibus conferre?

18. Si illa bona, quae in huius mundi corporibus videntur, plane tunc euanescent, & nihil eorum videbitur: quomodo ergo ex necessitate debent loco, tanquam catherinis, obserari sanctorum corpora in celis?

19. Si corpora gloria & terreno & corruptibili statu transibunt ad talem & tam celerem motum, ut non tunc deorsum premiantur corporeo pondere, nec eos amplius moles corporea & terrena detineat, sed ut sublimiter in aera ferantur: dicant Heidelbergi Theologi, qua audacia corpora gloria astringant loco, cum tantum hoc nomine corpora nostra sint hic spacijs locorum inclusa, quod ea moles terrena & corporum pondus premat, & suo loco ea detineat?

20. Quod Spiritualia sanctorum corpora sint in nullo corporali futura loco, ostendit hic Nyssenus, & alibi Augustinus.

C

Cum vero

Cum vero reliqui patres, ut Cyprianus, Chrysostomus, Augustinus, Prosper, Theophylactus, Euthymius & Bernhardus dicant cum Nysseno, nostra corpora in vita eterna fore levia, agilia, spiritualia & tenuia, que sursum ferantur: atq; Nicephorus Callistus libro 1. historiae sue cap. 32. in eandem loquatur sententiam cum Euthymio & alijs Patribus, de Christi corpore, videlicet Christum diuino corpore & non crasso, non mortali surrexisse, & tali quod sensus excedat omnes, mox nobis obiiciunt Cingiani, fuisse olim Eutychium Constantinopolitanum (qui tamen in quinta uniuersali S^onodo, ex veteri testamento eruditissime determinauit propositionem questionem, teste Euagrio & Nicephoro historicis) qui edito libro voluerit afferere, nostrum corpus post resurrectionem sensui tactus non fore subiectum & obnoxium, sed aere & ventis fore subtilius: Sed hoc argumentum & hanc sententiam voluisse ei eripere, & prolixè refutasse Gregorium Papam, sumpto argumento ab exemplo de corpore Christi, quod Apostoli palpasse dicuntur, de quo videatur eius commentarius super librum Iob. cap. 29. Interim ipse ait super 19. caput Iobis, corpora resurrectionis fore quidem palpabilia, tamen simul fore subtilia, per effectum spiritualis potentie. Besda quoq; in ea re imitatur Gregorium, super Lucam libro 6. cap. 24. ubi ab exemplo Gregorij, ex Christi factu reprehendit Eutychium Constantinopolitanum: interim & ipse mox addit, corpus nostrum futurum subtile quidem

quidem per effectum spiritalis potentie, sed palpabile
per veritatem naturae: Ita una utriusq; fuit opinio.

Vt autem hic respondeam Cinglianis, ex istis &
similibus constat, cum fuerit Eutychius vir doctissimus,
qui Nysseni, Nazianzeni, et Chrysostomi scripta diligenter
legit, hanc sententiam ita semper in Graeca Ecclesia
tunc fuisse obseruatam. Sed argumenta Gregorij & Be-
dae, licet ipsi fateantur fore subtilia & spiritalia corpora
nostra post resurrectionem, non sunt satis firma & pon-
derosa. Nam quod Christus se palpabilem discipulis
prebuerit, scimus Oeconomie & dispensationis gratia
factum esse, veluti non nudus apparuit, veluti hortulanus
vixus est Mariæ, veluti edit & biberit, & quidem ad
Mariam dixit, Noli me tangere &c. De his omnibus
ait Nyssenus oratione 2. de Resurrectione Christi, quod
se his rebus sponte sua subicerit. Hinc recte ait Cyprianus:
Ex dispensatione, non in debita corporis sui gloria,
sed in prima figura cernebatur. Item: Sed neq; eandem
gloriam, quam antea ostendit Apostolis, illico hic ostendit,
sed quod videre consueverant, hoc viderunt, & dis-
lata est claritatis plenitudo, que in se erat perfecta.
Chrysostomus adhuc clarius rationem istius facti Christi
explicat, homilia 86. in cap. 20. Ioannis dicens. Quæ
ritur cur signa cicatricum retinuerit? Hoe permissionis
fuit. Corpus enim tam leue & tam tenue, ut clausis
ianuis ingrederetur, omni crassitudine carebat: Sed ut
resurrectio crederetur, talem se exhibuit, ut crucifixum

ipsum fuisse, & neminem alium pro eo resurrexisse intellegas, propterea cum signis crucis surrexit & manducavit. Et super Luce cap. 24. Theophylactus & Eu-
thymius aiunt, quod manus & pedes, inq; eis vestigia vulnerum exhibendo, & comedendo coram discipulis, Christus ista dispensatoriè fecerit, quia tali non sunt regula ac prescriptio nature. Nam nullus alius post corporis immortalitatem citatrices habebit, aut cibum sumet. Ideo grauiter quoq; Nicephorus Callistus lib. 1.
historiae sue cap. 32. ait. Christum à resurrectione con-
spectum esse Apostolis, ratione submissionis atq; confirmationis, cum fissura lateris, pedum, & manuum, &
ita quoq; coram ipsis edisse, quò ipsis de sua resurrectione fidem faceret, & phantasmatis opinionem aboleret.

Ideo relinquamus ista, & firmissime credamus,
gloriam corporum nostrorum omnem nostrum captum
superaturam. Multo igitur minus disputemus de Christi
filii Dei corpore, quod in unitatem personæ ille gloriose
assumpsit, & supra omnia euexit: tantum audiamus
antiquioris Ecclesiæ sententiam scripturis consentientem.
Smaragdus in cap. 1. ad Hebreos super illud, In Excelsis,
ait: Non eum loco concludit, sed ostendit omnibus
altiorem, quoniam usq; ad solium ipsius paternæ claritas
tis exaltatur. Sicut enim pater in excelsis est, sic &
filius. Confessus ergo nihil aliud demonstrat, nisi hono-
ris æqualitatem.

Externe

7
Extenuent igitur & annihilent Christi Iesu Domini nostri humanitatem & carnem Sacramentarij, quantum velint & ipsis placeat, nos Christum hominem cum Magis eum in Presepi adorantibus, cum leprosis filium Davidis implorantibus, cum Angelis eundem coleribus, cum Apostolis ascendentem adorantibus, inuocamus, honcramus & veneramur, adoramusque, et si millies hoc neget Beza. Ideo reuerenter suscipimus Cassiodori dictum, quod recitat super Psal. 33. Caro Christi, licet ex humana natura sumpta sit, non tamen eam, ut unius hominis ex nobis estimare debemus, peccati alicuius contagione pollutam, sed adorabilem, salutiferam, vivificatricem, que peccata dimittit propter verbum, cui adunata est, sicut ipse Dominus ait, Matthei 9.

Ut sciatis, quia potestatem habet filius hominis super terram remittendi peccata, & ad perpetuae vite regna perducit, &c.



C 3

SENTEN^a

SENTENTIA VEL
assertio Gregorij Nysseni, de utroq;
Sacramento Ecclesiæ Catholicæ,
Baptismo & Eucharistia, eo-
rumq; natura, substantia,
vsi & effectu.

Gregorius Nyssenus in libro de
sancto Baptismate.

Aqua quæ baptismati adhibetur, corpori, quod baptizatur, benedictionem addit. Quare ne contemnas diuinum lauacrum, neq; id tanquam commune, propter usum aquæ, parui facias & leui momento das. Nam id quod operatur magnum est, & ab illo mirabiles existunt effectus. Nam & altare hoc sanctuum, cui adfissimus, lapis est natura communis, nihil differens ab alijs crustis lapideis, ex quibus parietes nostri extruuntur, & pavimenta exornantur. Sed ubi Dei cultui consecratum atq; dedicatum est, ac benedictionem accepit mensa sancta, altare immaculatum est, quod non amplius ab omnibus, sed a solis sacerdotibus ijsq; venerantibus contrectatur. Panis item panis est initio communis, sed ubi mysterium sacrificauerit, corpus Christi & dicitur & est: eodem modo vinum. Quum sint res exigui pretij ante benedictionem, post sanctificationem,
quæ à

que à spiritu procedit, utrumq; eorum excellenter operatur. Eadem item uis etiam sacerdotem augustum, & honorandum facit, nouitate benedictionis à communione vulgi segregatum.

Idem oratione 1. de Resurrectio-
ne Christi.

Sed pro ineffabili arcanoq;, & qui ab hominibus
cerni nequit, sacrificij modo, sua dispositione & adminis-
tratione preoccupat impetum violentum, ac sese obla-
tionem ac victimam offert pro nobis, sacerdos simul ex
agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Quando hoc
accidit? quum suum corpus ad comedendum, & sanguine
nem suum familiaribus ad bibendum præbuit. Cuilibet
enim hoc perspicuum est, quod oue vestri homo non posse
sit, nisi commestionem mæltatio precesserit. Qui igit
tut dedit discipulis corpus suum ad comedendum, aperte
demonstrat, iam perfectam & absolutam factam esse
immolationem. Non enim ad edendum idoneum esset
corpus victimæ animatum. Quum itaq; de corpore suo
ad edendum, & de sanguine suo ad bibendum præberet
discipulis, iam latenter, pro potestate mysterium adminis-
trantis, ineffabiliter & inuisibiliter corpus immola-
tum erat, & anima illic erat, ubi eam potestas adminis-
trantis collocauerat, cum immixta sibi diuina virtute
in loco illo cordis terre obuersans.

C 4

Idem

Idem in testimonij aduersus Iudeos, de omnibus Christi actionibus, passione, morte, resurrectione & ascensione allatis, super illud dictum Euangelicum: Exiuit sanguis & aqua.

Sanguinem & aquam ex diuino dominicoq; latere fluxisse, ab Euangeliō docemur, non simpliciter, sed primum quidem ideo, quod purificationes legales ad figuram & adumbrationem horum duorum, tum affpersiones sanguine, tum lustrationes per aquam peragebant. Deinde vero etiam, quod ubi veritas venit, summa nostrae salutis per aquam & spiritum mystice perficitur atq; completur, quoniam tum per diuinum baptisma, tum per Sancti sanguinis participationem & usum, consecrari nos ac diuinitatem induere credimus: quemadmodum his ipsis dictioribus & verbis diuinus orator Chrysostomus exponit: Exiuit, inquit, sanguis & aqua, ostendente scriptura, quod non simpliciter eiusmodi fontes prosiluerint, sed quoniam ex his ambobus Ecclesia constat. Atq; id cognoscunt & intelligunt fideles, qui per aquam quidem sunt renati, per sanguinem autem & carnem aluntur. Atq; hinc mysteria sumunt initium, ve quum ad tremendum poculum accedis, tanquam ab ipso Dominico latere bibiturus accedas.

Item. Paucæ guttae sanguinis totum mundum reformantes & instaurantes, atq; omnibus hominibus fit coagulum lactis evadunt, in unum nos cogentes & coniungentes, ut per utrorumq; Patrum sententiam
coniunge

coniungantur, & virtus baptismatis, & diuini sanguinis participatio, una quidem per aquam, altera vero per sanguinem &c.

BREVIS DECLARATIO prædictorum verborum.

Primo aperte fatetur hic nos benedictionem consequi ex baptisme, videlicet propter verbum institutum, quia sic paulo ante dixerat: In questione Iauacri, initium à scriptura faciemus. Nisi quis, inquit, renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare in regnum Dei. Quare bina illa, & non solus spiritus sufficiens existimatus est, ad completionem baptismatis. Compositus est homo & non simplex, ut certò scimus, atq; idcirco duplice coniunctioq; cognata similiaq; media camenta, ad curationem destinata atq; attributa sunt, corpori quidem, quod apparet, aqua, que sub sensum cadit, animæ autem que visum effugit, spiritus, qui non apparet, qui fide vocatur, qui ineffabiliter accedit, &c.

Ex quibus dictis apparet sanctum illum Patrem nobiscum sensisse & docuisse, Baptisma non nudum signum esse, ut Calvinistæ & Cingliani afferunt, sed Iauacrum regenerationis esse. Item, nobiscum locum Iohannis 3. explicuisse de Baptisme, cum eum ad alium sensum torqueant Sacramentarij.

Idem Nyßenus in libro de vita Moysi, sic quoq; loquitur de baptismo: Oportet omnes, qui sacramenta-

Iem baptismatis aquam transcurrunt, uniuersum uitiorum exercitum in aqua occidere.

Et in eandem sententiam lecuti sunt quoq; sancti patres ei contemporanei.

Hilarius contra Arianos. Sacramento baptismi vere filius Dei unusquisq; perficitur. Idem in Psal. 63. **Quis non in innocentiam renasci volet, cum peccati remissionem sacramentum nouae natuitatis indulget?**

Gregorius Nazianzenus oratione 3. in sanctum laetacrum. Ipsa baptismatis gratia ac vis, non mundi diluvium, ut olim, sed unicuiusq; peccati continet purgationem.

Ambrosius lib. 3. de Sacramento. In baptismo omnis culpa abluitur.

Arnobius in Psal. 41. Homo recuperatus est non Angelus, non aliqua alia creatura, quando in die Domini mandauit misericordiam suam, gratis in baptismo remittendo peccata.

Basilius (qui est frater Nysseni) sic scribit in Exhortatione Baptismi. In baptismo homo renouatur nec conflatitur, refingitur nec conteritur, curatur nec dolorem sentit. Ex seruitute peccati in libertatem restituitur, angelorum consors ac ciuis efficitur, fit filius Dei.

Observent quoq; p̄ij h̄ic, quod dicat de altaribus lapideis, que modo reiciuntur à sacramentarijs, quasi magnum sit piaculum altaribus adhuc uti.

Dicit deinde sanctus pater: Panis Eucharistiae est in initio communis, sed ubi cum mysterium sacrificauerit, corpus

corpus Christi & dicitur & est. Eodem modo & vinum.
In quibus verbis nobiscū aperte fattur presentiam cor-
poris & sanguinis Christi in cœna. Sed si simpliciter de-
bent illa verba intelligi, aiunt Schwermeri, ergo sequitur
transubstantiatio: Respondeo, omnino non potest illa
inde elici. Nam veluti ibidem ait de sacerdote, quod
is cum fuerit communis, antequam sumeretur ex multitu-
dine, mox assumptus ex plebe, fiat præceptor, doctor &
preses reddatur, atq; latentum mysterium præsul, &
sic aliis quam ante a erat, existat. Interim addit: Ea
contingunt huic, quum nihil vel corpore vel forma mu-
tatur, sed quod ad speciem externam attinet, ille sit qui
erat, inuisibili quadam vi ac gratia, inuisibilem ani-
mam in melius transformatam gerens. Sic quoq; mox
penè in eandem sententiam de aqua baptismi loquitur.
Simili consequentia rationum etiam aqua, cum nihil aliud
sit quam aqua, superna gratia benedicente ei, in eam
quæ mente percipitur, hominem renouat regenerationem,
&c. Ut igitur aqua est regeneration, renouatio
& lauacrum regenerationis, ut homo quidam est sa-
cerdos, et si aqua maneat aqua, & homo maneat homo,
sic panis in usu cœnæ dicitur & est corpus Christi. Id
quomodo sit & fiat, non ratione indagandum sed cre-
dendum est. Ideo ibidem recte loquitur Nyssenus: O
mittentes igitur inquirere atq; scrutari ea, que vires
humanas superant, illud potius queramus, quod etiam
particularē ostendit comprehensionem.

Propos

Propositio, Panis dicitur & est corpus Christi,
est singularis, qualis & illa est, Verbum caro factum
est. Hinc est quod modum presentiae corporis in coena.
aliquot sancti patres exemplo copulationis duarum in
Christo naturarum declarant, ac docent non mutari in
coena substantiam panis, sed simul adesse, manere & ex-
hiberi panem & vinum, atq; interim corpus & sanguis
nem Christi quoq; exhiberi, hoc est, duas res adesse, teste
Irenaeo, terrestrem & celestem, sicut in Christo due na-
ture diuina & humana simul unitae sunt. Collatione ca-
vtuntur multi patres: Iustinus in 2. Apologia sic ait:
Quemadmodum per Dei verbum Iesus Christus factus
est homo, & carnem & sanguinem pro salute nostra
habuit, ita & hunc cibum per precatonis verbum, quod
ab ipso traditum est, sacratum, ex quo sanguis & caro
nostra per alterationem aluntur, illius incarnati Iesu &
carnem & sanguinem esse edociti sumus. Illa quoq; col-
latione usus est Cyprianus in sermone de coena, Ambro-
sius libro de mysterijs, Augustinus in sententijs Prosperi,
Chrysostomus scribens ad Cæsareum monachum, Gelas-
sius in libro contra Eutychen, Leo 1. distinctione 2. de
Consecratione cap. In quibus, Paschasius libro de cors-
pore & sanguine Domini. His accedunt Theodoretus
in dialogis, & Euthymius super Mattheum.

Tandem obseruemus & hoc quod expreſſe dicat,
Christum dedisse familiaribus corpus suum ad edendum
& sanguinem suum bibendum, ut manifestum sit totam
uetustam

vetustatem reclamasse Sacramentarijs negantibus Christi
corpus dari in cœna, vel sanguinem eius ibidem por-
rigi.

Postremò afferitur, Sacraenta Ecclesiæ per san-
guinem & aquam effusam ex latere Christi denotari,
videlicet in aqua baptismum exprimi, & effusione san-
guinis nobis representari & exhiberi ipsum Christi san-
guinem in Cœna dominica.

In illam sententiam loquuntur omnes ex veteribus
interpretes, videlicet Augustinus tractatu 15. in Ioane
nem, item lib. 2. de Symbolo ad Catechumenos cap. 6. &
lib. 15. de Ciuitate Dei cap. 26. Chrysostomus homilia
84. super Ioannem, & ipsius Chrysostomi verba repe-
tit Theophilactus super 19. Ioannis, & Euthymius
super eundem. Et in idem cap. ipse ait: Hinc scatu-
riunt duo fontes, aqua purificantes Ecclesiam, sanguine
vero enutritae eam. Siquidem per aquam renasci-
mur, per sanguinem autem & carnem pascimur, que
diuina & mystica sunt. Similia dicit Cyrilus lib. 12.
cap. 39. in Ioannis cap. 19. Item Cyprianus in sermo-
ne de passione Domini. Item Iunilius super Genesin. Be-
da super Ioannis 19. repetit verba Augustini, quemad-
modum & Lyra & Gorranus faciunt, in idem caput
commentantes. Et quomodo iam aliter sanguine desflu-
ente ex latere Christi pascimur, nisi illum accipientes
cum vino in sacramento altaris? Ideo & cum Chryso-
stomo, Theophylactus, Euthymius, & alij docent, non
aliter

aliter accedendum esse ad calicem, nisi tanquam ad latus
Domini, inde bibitri. Ut igitur teste Ioanne 1. Ioane-
nis 5. tres sunt in terris, qui testimonium dant, Spiritus
tus, aqua & sanguis, id est, Spiritus per predicationem
Euangelij, Aqua per baptisma, Sanguis in sumptione
Eucharistie: ita ergo necesse est hic porrigi & exhiberi
sanguinem Domini in terris, ubi Eucharistia celebratur.
Et ne h.ec transferant Sacramentarij ad semel effusum
sanguinem & aquam ex latere, tres, ait Apostolus,
sunt, qui testificantur in terris. Quemadmodum igitur
iam quotidie testificatur in Ecclesia de Christo Spiritus
sanctus, per ministerium in terris, ita & aqua baptismi,
atq; sanguis in Eucharistia testantur, Christi meritum no-
bis applicari & exhiberi, imo ipsum adeo Christum cum
suo corpore & sanguine. Et quemadmodum ait Ny-
senus expressis verbis, corpus Christi dari nobis ad co-
medendum, & sanguinem ad bibendum, ita quoq; eius
contemporanei sunt locuti in eandem sententiam. Sic
quoq; ipsius frater Basilius magnus ait, epistola 147.
Carnem ipsius edimus ac sanguinem bibimus, consortes
ipsius effecti per incarnationem, & sensibilem verbi ac
sapientie vim.

Iam nulla alia ratione commissio potest fieri quam
ore. Ait enim Christus, accipite & edite: que de ex-
tero usu loquuntur. Hinc Ambrosius ait libro de his
qui initiantur cap. 6. & 8. & libro 4. de sacramento
cap. 4. & 5. & libris sequentibus, manducari Christi
carnem,

carnem, & sanguinem eius bibi, idq; in veritate, non in
umbra aut similitudine. Et mox rationem addit, quia
Christus dixit: Hoc est corpus meum, hic est sanguis
meus.

Ita ergo habemus vetustioris Ecclesiæ testimonia
perspicua & aperta, de illis duobus Ecclesiæ sacramen-
tis, que ideo obseruanda sunt, quia & cum sacra scrip-
ptura congruunt, & consensus cum doctrina nostrarum
Ecclesiarum, pias mentes in vera sententia magis con-
firmat. Oro autem filium Dei, Dominum nostrum
Iesum Christum, ut simplicem veritatem sanæ doctrinæ,
cum de omnibus fidei nostre articulis, tum vero etiæ
cum de his Ecclesiæ Sacramentis, contra furores
Anabaptisticos & Sacramentarios clemens
ter & potenter conseruet, ac sibi
perpetuo inter nos Ec-
clesiam colligat.
Amen.


F A N I S.






Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1735485543/phys_0053](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1735485543/phys_0053)



aliter ac
Dominu
nis s. t
tus, aqua
Euangel
Eucharis
sanguin
Et ne h.
sanguin
sunt, qu
iam quo
sanctus,
atq; sang
bis appli
suo corp
senus exp
medendu
contempo
quoq; ip
Carnem
ipsius eff
sapientie

Ia
ore. Ait
terno usu
qui initia
cap. 4. e



l calicem, nisi tanquam ad latus
Ut igitur teste Ioanne 1. Ioanne
, qui testimonium dant, Spiritus
est, Spiritus per predicationem
ptisma, Sanguis in sumptione
esse est hic porrigi & exhiberi
ris, ubi Eucharistia celebratur.
Sacramentarij ad semel effusum
latere, tres, ait Apostolus,
erris. Quemadmodum igitur
in Ecclesia de Christo Spiritus
in terris, ita & aqua baptismi,
a testantur, Christi meritum no
mo ipsum adeo Christum cum

Et quemadmodum ait Nyse
rpus Christi dari nobis ad co
n ad bibendum, ita quoq; eius
i in eandem sententiam. Sic
ius magnus ait, epistola 147.
sanguinem bibimus, consortes
ionem, & sensit ilet verbi ac

one comedio potest fieri quam
accipite & edite : quæ de ex
ac Ambrosius ait libro de his
3. & libro 4. de sacramento
uentibus, manducari Christi
carnem,